



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiæ & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu  
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

**Comitin, César Jean-Baptiste**

**Coloniæ, 1709**

§.5. Justificatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](#)

in mundo? O miserum te, ô detestandum, si nihil amas! ô detestabiliorum nultò magis, si quid præter Deum amas, tot modis, tantóque merito tuum! Amice, ad quid venisti? non dico in hortum, sed in hunc mundum? & si tu nescis finem tuum; pete finem Dei. ad quid amicus venit? ut viveret, ut moreretur tibi; & tu vivis, tu moreris alteri. Tu Christianus? tu frater? tu filius? O monstrum monstro! sed ô antidotum è veneno! sic, sic serpentem serpente curamus, dum horrori est.

§. 5. *Justificatio.*

Illo è fonte flumen immensum in quatuor orbis partes undique manavit, atque ut pro incolumitate corporis creationi conservatio, ita pro salute animæ redemptione JUSTIFICATIO respondet. Quotidie nascitur Deus, non jam in Virgine, sed in adulterâ quoque. Hic supremus admiranda transformationis apex, ut non de homine tantum frat Deus; sed de peccatore etiam mutatione omnium maximâ, ut ait Theodorus. Ibi enim Deus factus est reus; hic contrà reus factus est Deus. Ibi semel duntaxat, & in uno; hic quotidie & in omnibus. Ibi gratia sanguine stetit & morte; hic tribus

## DE AMORE DEI.

79

bus syllabis. Tres enim sunt syllabæ, PECCA-  
VI. (Ambrosius.) Ecce, inquit Augustinus,  
cùm loquor, muta cor, & factum est quod tam  
sæpè & tam diu clamatur, ut fiat, & quod æ-  
ternam parturit pœnam, nisi fiat. Hæ sunt  
amantissimi Salvatoris artes; hoc salutis no-  
stræ compendium, & ut regius appellat Va-  
tes, medicamentum medicatum. Non cir-  
cumciditur infans, non cruentatur, non ad  
valvas templi, sive secreto domûs, intestabi-  
lis atque excommunicata mater ab omnium  
consortio abstinet spatio quadraginta  
dierum. Unâ sacri fontis guttulâ, unâ pœ-  
nitentis animi lacrymulâ litatur. Momento  
turbinis exie virgo fide Christi, qui fuerat  
adulter corruptione peccati. (Ambros.) Perit  
salvo reo reatus. [S. Zeno.] Fit iterum terra  
cælum. Denuò in virginem reparatus non  
meminit, quod fuit, & redivivâ nativitate  
infantia sceleratus innocentiam refert, [Am-  
bros.] non Medeæ, non medicæ potentibus  
herbis, aut malagmate, sed unico Dei verbo,  
quo sanamur. O merita Christi! O vitæ por-  
tentia nostræ! Hic mihi duplex rursum ob-  
oritur stupor, & de misericordiâ tantâ Dei,  
& de miseriâ tantâ nostrâ.

Ecce piscina non Hierosolymis, sed ubi-

D 2

que



que: non in quâ sanetur unus, sed ubi sanantur omnes, à quacunque infirmitate : non Angelo descendente, sed Spiritu sancto, qui (ut habet Paulinus in carmine) *sacras igne divino maritat aquas.* Et tamen ad labrum fontis jacet adhuc *multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum.* (Joan. s.) Unde hoc? unde tantum infirmitatis in tanto remedio? O verè paralyticos, quibus deest homo, hoc est, ratio, & fides! nam si vel crederent, vel saperent, id ita fieret? Negligeretur salus, tantâ securitate, tantâ felicitate parta? tribus syllabis? nunquid non est verbum, PECCAVI? Clamo igitur tibi, non ut ille, [4. Reg. s.] Pater; sed, ut solitus sum, fili, & si rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras; quanto magis quia nunc dixit tibi: Lavare, & mundaberis?

### §. 6. Eucharistia.

Dixi quotidie nasci Deum; addo quotidie mori, quotidie crucifigi in ALTARI, sacrificio licet incruento. O novitatum non vitas! ô miraculorum omnium longè maximum! exclaimant Eusebius & Thomas. Quæ quibus anteferam? unde inchoabo? ubi desinam? quis, quid, cui? Idem sacerdos & vi. Etima, amor utrumque, Ipse, ipse immola &